

toriam pag. 51. Digestit quoque idem Nicephorus Chronographiam ab Adamo usque ad Michaelis Balbi, & Theophili ejus filii tempora perductam, cui a posteriori quodam Scriptore adjecti sunt Patriarchæ, qui post Nicephorum ad Photium usque Ecclesiam Constantinopolitanam gubernarunt. Hanc Nicephori Chronographiam græcæ & latine typis Regiis vulgavit una cum Georgii Sincelli Chronico anno MDCLII. doctissimus noster Jacobus Goarus recensitam ad varia exemplaria & eruditissimam Notis illustratam (a).

(a) Nicephori Patriarchæ opera, quotquot reperire potuit, omnia daturum se sponondit principio sæculi hujus XVIII. P. D. Anselmus Banduri Monachus Ordinis S. B. ac jam ejus operis conspectum exhibuerat vulgatum typis Parisiensibus an. 1705. ne vero cum eruditissimis communicaretur desideratissima editio, vetuit, heu nimis luctuosa! mors viri doctissimi. In eo vero conspectu daturum se pollicebatur Bandurius capita LXXXIII. S. Nicephori pro irreprehensibili & pura Christianorum fide; antirrheticos contra Iconomachos tres, tum & alium in duas partes divisum, In secundo vero hoc Antirrheticum multa contineri anecdota ad Nicanam II. Synodum Generalem spectantia affirmat doctissimus Editor in eodem conspectu. Demum capita plura Canonica S. Nicephori edidit Cotelerius in monumentis veteribus Ecclesiæ Græcæ, quæ a me translata sunt in supplementum Conciliorum. Fragmentum aliud alterius Canonis Nicephori servavit P. Montfauconius in sua Bibliotheca Coisliniana.

Methodius Patriarcha Constantinopolitanus sapientia celebris multa pro cultu Sanctarum Imaginum, quem acriter tuebatur, sub Imperatoribus Iconomachis invicta animi constantia passus est. Auctor est Orationis de Simeone & Anna, quo die Domino in Templo occurrerunt, ac de Sanctissima Deipara, necnon & Orationis in Ramos Palmarum, quæ proinde a quibusdam male attribuantur alteri Methodio Patrensi Episcopo, Seniori vulgo nuncupato. Composuit etiam S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus Encomium Sancti Dionysii Areopagite & Martyris, & Encomium S. Agathæ Virginis & Martyris. De utroque Methodio legendi sunt Leo Allatus in Symphosio decem Virginum, Combefisus in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, & Oudinus in Supplemento Script. Eccles. Aliud genuinum S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani Opus, quod inscribitur: Canon de iis, qui abnegarunt, secundum diversas personas & ætates, & ad Orthodoxam veramque fidem revertuntur, edidit noster Jacobus Goarus in Euchologio Græcorum pag. 876.

Photius, qui, ut sæpius in præcedentibus Colloquiis diximus, dejecto S. Ignatio legitimo Patriarcha, Sedem Constantinopolitanam invasit, & schismatis Ecclesiam Græcam inter, & Latinam nequissimus auctor fuit, doctrina claruit non vulgari, & exactissimi judicii Criticus fuit eo præsertim in Opere, quod Bibliothecam de li-

bris a se lectis nominavit, in quo tam accurate, tam perspicaci ingenio, tam docte, tam libere de omnibus Scriptoribus Christianis simul phanisque auctoribus, Theologis, Philosophis, Historicis, Poetis, Grammaticis, & Oratoribus judicat, ut nemo hanc ejus Bibliothecam vel semel inspexerit, qui eum Historicum summum, Philosophum absolutissimum, Criticum acerrimum, Oratorem disertissimum, & Theologiam adamussum tenuisse statim non fateatur. Hanc Photii Bibliothecam eo pluris faciunt Viri eruditi, quod in ea multorum librorum fragmenta, & excerpta leguntur, quæ alioquin periissent. Edidit etiam Photius Nomocanonem Titulis XIV. comprehensum, quod Canones Apostolorum, Conciliorumque veterum cum legibus Imperatorum Romanorum collatos, & in unum digestos, Volumen complectitur. VII. Conciliorum Œcumenicorum scripsit Epitomen. Item Tractatum de Voluntatibus in Christo: Dissertationes de Divinitate & Incarnatione Christi, ab Henrico Caniso Tomo V. Antiq. Lect. editas. Item Commentarium in Epistolas Sancti Pauli, & Epistolas cccxviii. quas variis de argumentis scriptas e MS. Codice Bodlejano una cum Auctario quinque aliarum ejusdem Photii de rebus in jure Orientalium dubiis publicavit Richardus Montacutus e secta protestantium Pseudo-Episcopus Norvicensis. Inter Epistolas Photii eminet ea præsertim, quæ ad Michaelem Bulgæ Regem de Officio Principis directæ est, in qua præclara ad rectam Principis institutionem continentur documenta. Sermonem Photii in Nativitatem B. Mariæ Virginis edidit noster Combefisus Tomo I. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum. Sed de Photii Operibus si plura scire desideres, consule Casimirum Oudinum in Supplemento Script. Eccles. & nostrum Natalem Alexandrum Articulo xxv. Capitis tertii, de Scriptoribus Ecclesiasticis noni & decimi sæculi.

Theodorus Abucara Carix Archiepiscopus partibus Photii contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum aliquandiu adhæsit, sed prolati Photii fraudibus, ab eo descivit, & in Concilio VIII. Œcumenico ad unitatem rediit, sui que delicti veniam impetravit. Tanta fuit eruditione præditus, ut Mahometanos, & Judæos, & quosvis sui temporis Hæreticos confutarit: disputationes in modum Dialogorum luculentissimas composuit, quæ ex Turriani, & Gretseri Societatis Jesu Theologorum Versione, extant in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis.

Denique, Leo Imperator, cognomento Sapiens, idest Philosophus, Præceptorem habuit Photium, sub quo immensam bonarum literarum, Artium atque disciplinarum scientiam hausit, pluresque Orationes sacras composuit, quarum indicem ex Codice Vaticano exhibet Baronius in Annalibus Eccles. ad annum nongentesimum undecimum. Novem ejus Orationes edidit Gretserus Societatis Jesu Ingolstadtii, an. MDC. Noster vero Combefisus Tomo I. Auctarii Biblioth. Patrum decem Leonis publicavit Orationes cum eruditissimis Notis. Eidem Leoni Imperatori alia tribuuntur Opera, & in pri-

primis, ut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam hujus sæculi noni, Opus Βασίλειον, idest Regiarum Constitutionum in LX. libros divisum, quod VII. Tom. comprehensum Fabrotus juris consultus doctissimus ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ, Græcæ & Latine vulgavit. Sed de Viris illustribus, qui IX. sæculo in Ecclesia tam Græca, quam Latina pietate & doctrina floruerunt, hæc dicta sufficiant (a).

(a) Alteram ex ineditis orationem Leonis Imperatoris Græcam cum latina interpretatione sua Libello singulari edidit vir doctissimus Marchio Scipio Maffejus, mihi olim, dum viveret, amicitia maxime conjunctus. Cum vero in strue librorum ego illam cum aliis admixtam haberem, nec modo, cum maxime velim, mihi occurrat, ideo argumentum ejus exponere nequaquam possum.

D. Nunc, si placet, paululum requiescamus, dum se maximus æstatis calor frangat, & nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Quamobrem, proximum nostrum Colloquium differamus usque ad exordium sequentis Autumni, quo Estiarum statu nimii temperabuntur calores.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, de Disciplina tam Ecclesiastica, quam Monastica, necnon de Morali Christiana noni Ecclesiæ sæculi.

M. A Trigimus tandem aliquando Autumnum, anni tempus percipiendis, demetendisque frugibus aptum, & ad resumenda, ob nimium calorem per integrum mensem interrupta nostra in Historiam Ecclesiasticam Colloquia, tempestivum magis, atque idoneum. Age ergo, ea, qua par est, diligentia in præsentis Colloquio discutiamus omnia, quæ spectant Doctrinam fidei, Disciplinam tam Ecclesiasticam, quam Monasticam, necnon Doctrinam Moralem noni Ecclesiæ sæculi.

D. Incidi nuperrime in librum cujusdam Hæretici Calvinistæ, quem non pudet asserere, Christianos noni Ecclesiæ sæculi credidisse, Corpus, & Sanguinem Christi Domini reipsa esse dumtaxat in Cælo, non in Eucharistia, illamque esse meram figuram Corporis & Sanguinis Christi. Fingit etiam, hanc fidem, quæ de Eucharistia nono Ecclesiæ sæculo apud fideles obtinebat, fuisse sub finem ejusdem sæculi immutatam a Paschasio Radberto Monacho Corbejensi, qui invenit novam de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento doctrinam, quæ ab exitu noni sæculi ad exordium usque undecimi omnium hominum mentes, faventibus præsertim decimi sæculi ignorantia tenebris, toto terrarum orbe ita pervasit, ut Christiani in sequentibus deinceps sæculis hac recenti Paschasii doctrina una cum lacte imbuti, illam ceu veram confidenter obtruserint, mordicusque retinuerint. Certe, dum legi hoc tam male confarcatum istius Hæretici figmentum, omnique veritatis spe-

cie destitutum, quo mutationem circum fidem Eucharistiæ post nonum sæculum in omnium Christianorum animis factam inepte fabulatur, a risu temperare haud potui, certissime sciens, doctrinam fidei esse prorsus invariabilem, nullique temporum vicissitudini obnoxiam, subindeque doctrinam, quam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia nunc firmiter credit & constanter proficitur Catholica Ecclesia, non a Radberto Paschasio Monacho, qui nono sæculo florebat, prodidisse, sed a Christo Domino profectam ad nos usque perpetua sibi que semper constanti Patrum traditione fuisse propagatam. Huic Catholice Fidei, seu sacre Anchoræ immobiliter adhareo, nec dubito, quin tam insulsum Hæreticorum commentum a Catholicis Scriptoribus fuerit jam confutatum multis argumentis, quorum nonnulla quæ erunt ad meum captum magis accommodata, a te nunc audire cupio.

M. Hoc figmentum, de innovatione fidei circa Eucharistiæ nono Ecclesiæ sæculo a Paschasio Radberto facta, in solo cerebro Albertini, Claudii, & La-Roque sectæ Calvinianæ Pseudo-Ministrorum natum, adeo absurdum est, & ab omni veri specie alienum, ut stipitem esse oporteat eum, qui illud sibi, aut aliis persuadere posse arbitretur. Enim vero, præterquam quod Paschasius Radbertus nihil omnino in fide & doctrina de Eucharistia nono Ecclesiæ sæculo immutavit, sed solum avitam fidem, & doctrinam Scripturæ Sacre, & SS. Patrum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento clariori uberique stylo exposuit, ut jam in præcedentibus Colloquiis sat superque ostendimus; certum est etiam, hanc innovationem in fide & doctrina de Eucharistia, quam ab exeunte nono sæculo ad initium usque undecimi sæculi factam comminiscuntur Hæretici, puram putamque fabulam esse, quam Catholici Viri doctissimi omni argumentorum genere exploserunt. Ecquis, amabo, tam bonus ut credat, Orbem totum, si (ut dicunt isti Calviniani Pseudo-Ministri) sæculo nono credidisset Corpus & Sanguinem Christi non realiter existere in Eucharistia Sacramento, ad eam postea doctrinam sensim sine sensu traduci potuisse, quæ alteri e diametro opposita Corpus & Sanguinem Christi esse realiter in Eucharistia proficitur, omnesque noni & Decimi Ecclesiæ sæculi Antistites, Presbyteros, Clericos & Monachos, Principes, & Laicos tam stupendam novitatem, tam novam & insolentem doctrinam, tam imperviam rationi, tam sensibus adversam, qua Religionis & fidei fundamenta convelli Calvinistæ plenis buccis inclamant, obviis, ut ajunt, ulnis, tam facile excepisse, pristinatamque fidem absque ullo vel minimo scrupulo abjecisse, nemine reclamante, immo nec advertente, nullis expugnantibus Ecclesiæ Pastoribus, nec obstantibus Principibus religiosissimis, & in utramvis aurem dormientibus Viris Sanctissimis, quibus IX. sæculum abundasse vidimus in superiori Colloquio, multoque in sæculo decimo floruisse ostendimus in nostris Colloquiis, in Historiam de-

cimi Ecclesie sæculi. Profecto incredibile prorsus est, tot Episcopos, Abbates, Presbyteros, Clericos, Monachos & Principes in diversis Orbis partibus dispersos, doctrina ac pietate conspicuos, fidei ac doctrinæ Christianæ tuendæ ac promovendæ studiosos, ultro passos fuisse ut prisca fides, qua nihil antiquius solent habere homines, impune adulteraretur, & tanquam canes non valentes latrare, siluisse, obmutuisse, dissimulasse, nefandaque socordia permisisse ut nova introduceretur Hæresis. Præterea, legimus in Historia Ecclesiastica, quod statim ac aliqua Hæresis pullulare ac disseminari cœpit, gravissimi semper in Ecclesia tumultus excitati sunt, idque ne ab antiquis Hæresibus, quæ pacem Ecclesie haud parum perturbant, exempla altius repetamus, manifesto liquet in sectis Lutherana & Calviniana. Cogita enim, quæso, quos turbines, & quas tragœdias Lutherana Hæresis in Germania, & Calviniana secta in Gallis concitarint, ubi primum sacrilegum caput extulerunt. Quot inter Theologos disputationes exanderunt, quot libri a variis partibus magno animorum æstu editi in vulgus sparsi fuerunt, quot Ecclesie fulmina adversus enatas illas Hæreses intonuerint, quot Concilia ad illas gliscientes profligandas variis in locis congregata fuerint, quot postremo funesta intestina bella obstinata illæ circa fidei dogmata dissensiones in Imperio, in Gallis, & in Rebuspublicis inflammaverint. Et post hæc, si superis placet, jam citati Pseudo-Ministri Calviniani persuadere poterunt Viris eruditissimis, immutationem in fide & avita doctrina Ecclesie circa Eucharistiam ab exeunte nono sæculo ad exordia usque undecimi factam fuisse absque tumultu, sive contentione, nullum ad illam novam doctrinam excindendam, antequam latius serperet, coactum esse Concilium, omnesque in re tanti momenti dissentientes simul communicasse, habitasse, aut pacifice, nullis simulatibus, nullis odiis exacerbatos convixisse. Denique, nemo nescit, Christianam Religionem persecutionibus, prædicationibus, disputationibus, scriptis, miraculis, martyriis fundatam & confirmatam fuisse, hisque opus fuisse ad vincendam sensuum, rationis, & Philosophiæ oppugnationem, ad domandam Judæorum perveraciam, ad tollendam renitentium Ethnicorum cæcitate, ad evertendam superbiorum ingeniorum præjudicia. Et erit aliquis tam credulus, ut suum in animum inducat, immutationem in fide & in doctrina circa Eucharistiam fieri potuisse, pace Ecclesie, Regnorumque haud minimum turbata, eamque sine strepitu, sine altercationibus, absque scriptis & prodigiis, altumque circa res fidei indormientibus singulis Ecclesie Pastoribus, omnium animos occupasse, itane a fide Patrum discedere proclive est? itane dogmata summam Religionis spectantia, quibus semel sunt imbuti animi, tam facile abiciuntur? nullus plane dubito, quin iudicio sensuique communi nuncium ille omnino remiserit, qui tam purido commento præbuerit assensum. Apage ergo tam insulse proculam fabulam, quam Cl. Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus toto lib. ix. Voluminis primi gallice scripti de perpetua fide Ecclesie cir-

ca Eucharistiam adversus Pseudo-Ministrum Claudium aperte falsi convincit, & de qua nos in Colloquiis in Historiam undecimi sæculi agendo de Berengarii Hæresi plura, auxiliante Deo, dicemus.

D. Invidium sane & palmare protulisti argumentum, quod Hæreticorum jugulum perit, & fabulam ab ipsis excogitatam de innovatione in fide, & doctrina circa Eucharistiam a nono præcipitante sæculo ad primordia usque sæculi xi. introducta solide refellit. Perge ergo nunc, si placet, aliorum, quæ in Ecclesia Catholica credenda proponuntur, fidei dogmatum consensionem cum doctrina ix. sæculi demonstrare, ut inde constet, quam falso Hæretici, qui postremis hisce temporibus Reformatorum nomen immerito ambiunt, in suis tutandis erroribus antiquitate gloriantur?

M. Nono Ecclesie sæculo omnes ad unum Christiani Deum unum esse in natura, & trinum in Personis juxta omnium sæculorum fidem constantiter profitebantur. Baptismi necessitatem ad delendum peccatum Originalem ad omnes omnino Adami posteros propagatum admittebant. Gratiam medicinalem Christi Servatoris nostri ad singulos pietatis actus prorsus necessariam esse credebant, multique inter Latinos hujus sæculi insignes Scriptores potissimum in Gallis, strenue pro tuenda doctrina Sancti Augustini de gratuita Prædestinatione, & de Gratia se ipsa efficaci decertarunt, doctissimosque libros ediderunt, sicut jam ostendimus. Processionem Spiritus Sancti a Patre, Filioque contra Photium, & Græcos Schismaticos Latini acriter propugnarunt. Cultum Sanctis Imaginibus esse exhibendum asseriebant tam Græci, quam Latini; & quamvis Græcos inter & Latinos, quantum ad modum colendi Sanctorum Imagines, aliqua nono sæculo exarserit contentio, attamen quantum ad substantiam cultus, videlicet quod aliquis cultus religiosus Sanctorum Imaginibus deferendus esset, concors erat omnium cum Græcorum, tum Latinorum sententia, sicut in præcedentibus Colloquiis contra Hæreticos nostri temporis Iconomachos demonstravimus. Reliquias Sanctorum maxima veneratione prosequerentur Christiani noni Ecclesie sæculi, uti facile colligitur ex eo, quo erant affecti, studio transferendi Corpora Sanctorum, eaque, ob incurSIONem Barbarorum, sollicitè occultandi. Eginhardus in Historia, quam scripsit, de Translatione Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri facta anno dcccxi. refert in libris tertio & quarto varia miracula patrata diversis in locis Germaniæ, quibus Reliquiæ illorum Sanctorum concessæ sunt, & sub finem libri quarti adjecit idem Eginhardus Translationem Sanctorum Proti & Hyacinthi Martyrum, in qua iridem translatione complura edita sunt miracula. Bollandus ad diem 11. Januarii Vitam Sanctæ Genovefæ Virginis, cujus Corpus Parisiis in Monasterio eidem Sanctæ dicato, quod hodie est Canoniceorum Regularium Sancti Augustini, asservatur, ab antiquo Authore scriptam refert, cui subjunguntur miracula hujus Sanctæ ab Auctore Anonymo descripta, ibidemque, relatis miraculis, quæ edidit Corpus Sanctæ Genove-

fæ, dum ob Normannorum in Urbem Parisiensem irruptionem alio translatum est an. dcccxl. narratur postea alia miracula, quæ facta sunt, quando, Parisiensibus cura bellorum solutis, Corpus Sanctæ illius Virginis ad Urbem Parisiensem, exultantibus & occurrentibus populorum turbis reductum est. Translatum etiam est anno octingentesimo sexagesimo quarto ob metum incurSIONis Normannorum in Gallis Corpus Sanctæ Faustæ Virginis & Martyris in Cælum, seu, ut hodie loquimur, in Prioratum Arnensem, ubi immensa beneficia sanitarum, Domino in Sanctis suis operante, mirabiliter fiunt usque in hodiernum diem, inquit Auctor Anonymus Historia Translationis Reliquiarum Sanctæ Faustæ Virginis & Martyris ex Vasconia in Cellam Arnensem, quæ historia exhibetur a Mabillonio part. II. sæculi IV. Benedictini. In Gallis eodem anno dcccxl. ob metum Normannorum Gallis infestantium translatum est Corpus Sanctæ Regine Virginis & Martyris de Alefia Civitate apud Flaviniacum Castrum, seu Cœnobium, sicut legitur in Chronico Viridunensi Tomo I. Bibliothecæ Labbeanæ relato. Hæc Sancta colitur in Martyrologio Romano die VII. mensis Septembris. Denique, multas Sanctorum Reliquias in Gallis nono Ecclesie sæculo ob grassationes Normannorum, qui ferro flammaque in Monasteria, sacras Aedes, & Corpora Sanctorum atrociter sæviebant, fuisse alio transportatas, atque magna cura & Religione reconditas, testatur ad annum dcccxlvi. Auctor Chronici de Gestis Normannorum in Francia, quod a Duchesno Tomo II. publicatum est.

D. Video plane doctrinam, quam nunc proficitur Sancta Ecclesia Catholica, summam cum doctrina, qua Christiani noni Ecclesie sæculi erant imbuti, consensionem habere, ac subinde diris devovendos esse nostri temporis Hæreticos, qui vetera Religionis dogmata, tot jam fixa & fundata sæculorum consensu, in privatis, in publicis congressibus, in tenebris & in luce, verbo & scripto subruere, suæque doctrinæ ex omni errorum colluvie conflata, & omnibus Ecclesie fulminibus inusta virus spargere, ac longe lateque totis viribus diffundere adnituntur. Verum, quid dissimulem, duas hic breviter subjiciam difficultates, quas circa duo Capita doctrinam noni Ecclesie sæculi spectantia mihi nuperrime proposuit vir quidam eruditus, quibus diluendis cum impar sim, tua certe opera indigeo, ut me ab illis extricare possim. Prima difficultas est circa Confessionem Sacramentalem, seu Auricularem, quam nunc ad obtinendam remissionem peccatorum Sacerdoti necessario fieri debere constans est omnium Catholicorum doctrina. At nono Ecclesie sæculo, ut dicebat vir ille eruditus, aliqui extiterunt Catholici, qui asseriebant, soli Deo Confessionem esse faciendam, idque confirmabat auctoritate Concilii Cabilonenfis secundi nono sæculo celebrati, seu anno dcccxi. quod Canone xxxii. hæc habet: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magis Gravess. Hist. Tom. III.*

gno fructu intra Sanctam sit Ecclesiam. Præterea, ex Canone xxxii. ejusdem Concilii observabat vir ille eruditus, inter eos, qui nono sæculo docebant, Confessionem Peccatorum Sacerdoti esse faciendam, extitisse quosdam, qui negabant, omnia peccata Sacerdoti esse declaranda. Quæ doctrina, ut nemo non videt, diversa plane est ab ea, quæ nunc de Confessionis Sacramentalis integritate obtinet in Ecclesia Romana. Altera difficultas versatur circa formam Baptismi, quam in his verbis Evangelicis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Ecclesia nunc docet esse sitam, ita ut si quis in Ecclesia Latina inter baptizandum alia forma uteretur, Baptismus censetur omnino invalidus. Porro, hæc præsentis Ecclesie doctrina, ut aiebat vir ille eruditus, nono sæculo necdum erat recepta tanquam ad fidem spectans, quandoquidem Nicolaus I. Pontifex Maximus, juxta ac doctissimus, in suis Responsis ad Consulta Bulgarorum asserit, baptizatos a quodam, de quo nesciebatur, an Christianus, an Paganus esset? *Non esse denuo baptizandos, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel etiam in nomine Christi baptizati sunt. Unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius.* Hæc sunt ipsissima Summi illius Pontificis verba, quæ, ne e memoria exciderent, in istis Codicillis exscribere curavi. Tuum nunc est utriusque nodo dissolvendo aptissimum adhibere cuneum.

M. Utraque difficultas, quam tibi proposuit vir ille eruditus circa duo Capita ad doctrinam noni Ecclesie sæculi pertinentia, facili negotio dilui potest. Et primo, quod spectat Confessionis sacramentalis usum, aperte colligitur ex laudato Concilio Cabilonenfi secundo, eum fuisse nono sæculo in Ecclesia receptum. Canone siquidem trigesimo secundo Patres illius Concilii graviter perstringunt eos, qui *dum peccata sua Sacerdotibus confitentur, non plene id faciunt.* Declarant insuper ibidem confitenda esse singillatim peccata, tum ea, quæ per corpus gesta sunt, tum ea, quibus in sola cogitatione delinquitur, & ideo sanciant, instruendum esse Pœnitentem, *ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat.* Quid, quæso, clarius, & ad stabilendum confessionis sacramentalis, seu auricularis usum atque integritatem efficacius dici possit, certe non video. Sed inquis, extiterunt aliqui nono Ecclesie sæculo, qui asseriebant, soli Deo peccatorum confessionem esse faciendam. Id non inficias eo, sed eos, qui ita sentiebant, errasse contendo, quorum tamen error Ecclesie non est adscribendus, quia longe plures Catholici Scriptores doctrina & pietate celeberrimi hunc errorem, qui paucorum fuit, data opera nono sæculo impugnarunt. Quamobrem, sicut error vel Millenariorum, vel Rebaptizantium, quem olim nonnulli in Ecclesia his questionibus necdum plene eliquatis, & ante solemne Ecclesie iudicium propugnarant, non tribuitur Ecclesie, quia major & nobilior Ecclesie pars utrumque errorem omni

avo improbavit, ita etiam error eorum, qui nono saeculo existimabant, sufficere ad remissionem peccatorum Confessione soli Deo factam, Ecclesiae attribui minime debet, quia hic error paucos nactus est patronos, a pluribus fuit confutatus, ac tandem in Conciliis Generalibus Lateranensi IV. & Tridentino confixus est decretorio Ecclesiae iudicio. Ceterum, quamvis fatear, errasse eos, qui nono Ecclesiae saeculo usque ad Concilium Generale Lateranense IV. sub Innocentio III. anno MCCXV. celebratum, Confessionem Sacerdoti factam non esse necessariam ad obtinendam remissionem peccatorum senserunt, quos inter etiam post saeculum nonum numerantur Petrus Lombardus Magister Sententiarum, & Gratianus, illos tamen haereticos fuisse pronunciare non ausim, quia id temporis licet eorum sententia falsa & erronea esset, nondum tamen solemnem Ecclesiae iudicio erat condemnata. Sic censet S. Thomas, qui Textum Magistri Sententiarum exponens lib. IV. Distinct. XVII. haec habet: *in talibus antequam determinetur per Ecclesiam, quod ex iis sequatur aliquid contrarium fidei, non iudicatur haereticus esse: & sic Magister, & Gratianus hoc pro opinione ponunt, sed nunc post determinationem Ecclesiae sub Innocentio III. factam, haereticus reputanda est (a).*

“(a) Ad auricularem confessionem hoc saeculo usitatam valet testimonium ex homilia Leonis IV. deductum. Mandat in ea Pontifex, ut Sacerdotes caveant, ne minus digne poenitentem cujuscunque rei gratia ad reconciliationem adducant; tum addit: *& ei testimonium reconciliationis ferat.* Reconciliationis nomine designari ab eo confessionem peccatorum constat ex aliis ejusdem homiliae verbis: *Infirmos visitate, deinde reconciliate, & oleo sancto inungite . . . Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, infirmis reconciliandis &c. premium aut munus accipiat.* Cur autem edixerit Pontifex ut Parochus testimonium ferat reconciliationis a se datae, si reconciliatio palam fuisset exhibitae? Valet etiam ad hanc disciplinam de confessione auriculari eruendam Capitulare Theodulphi a Baluzio vulgatum, *Quod si occulte hoc (adulterium) fecerit, & occulte ad confessionem venerit, occulte ei poenitentia imponatur: & intra; si occultum est, poterit occulte, in suo permanens gradu, agere poenitentiam; paulo supra: Capitalia & mortalia crimina publice deservenda sunt secundum canonum & Sanctorum Patrum institutionem; sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, mutata tamen prius animi intentione pie religionis confesso studio per vite correctionem, & jugi, immo perpetuo luctu se submitte.*

Ad alteram quod spectat difficultatem, quae tibi circa formam Baptismi proposita est, respondet Bellarminus lib. IV. de Romano Pontifice cap. XII. Nicolaum I. Summum Pontificem non definiendo questionem de fide illud dixisse, sed solum ut Doctorem particularem exposuisse

obiter opinionem suam. Nam quod ille intendebat docere in illo Canone, non erat de forma Baptismi, sed tantum de Ministro, de quo interrogatus fuerat. Itaque postquam responderat & definiat, Baptismum esse ratum, etiamsi a Judeo vel Pagano detur, quae erat praecipua questio, addidit obiter: *Baptismum esse ratum, sive in nomine trium personarum, sive in nomine solius Christi detur. Quae sententia falsa quidem est, meo iudicio, non tamen haeretica.*

Verum, ut cordate fatear, nunquam ipse adduci potero, ut credam, Nicolaum I. doctissimum Pontificem circa formam Baptismi tam clare in sacris litteris, & in perpetua SS. Patrum traditione expressam potuisse, etiam ut Doctorem particularem, errare. Existimo itaque ipse, Nicolaum I. qui opinioni S. Ambrosii se inhærere diserte profiteretur, tantummodo voluisse Baptismum collatum in nomine Christi non excludere alias Sanctissimae Triadis Personas, adeoque intelligendum esse datum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia, ut inquit S. Ambrosius. I. de Spiritu Sancto cap. 3. *Sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia nomen unum est, potestas una: etiam ubi aliqua operatio Divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti designatur, non solum ad Spiritum Sanctum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium, nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, & Spiritum Sanctum.* Non posse autem in collatione Baptismi aliquam Sanctissimae Trinitatis Personam excludi, aperte declarat idem S. Doctor in libro *De iis, qui Mysteriis initiantur* cap. 4. ubi haec habet: *Credat Catechumenus in Crucem Domini Jesu, quia & ipsa signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire.* Addo etiam, Sanctum Ambrosium, in cujus sententiam abiit Nicolaus I. Pontifex Maximus, ita Baptismum in nomine Jesu Christi collatum interpretari, ut iis verbis Baptismum significari doceat, non qui a Joanne Baptista, sed qui a Christo Domino institutus est sub hac praescripta forma: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita S. Ambrosium explicat Concilium Tridentinum Catechismus his verbis: *Quamquam dubium fortasse videri potest, an huiusmodi forma (scilicet in solo nomine Christi) Apostoli aliquem baptizaverint; si Ambrosii, Basilii gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita Baptismum in nomine Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari Baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo traditus est, tamen a communi, & usitata forma, quae trium Personarum nomina continet, Apostoli non discederent.* Itaque, quemadmodum Sanctus Ambrosius ab errore de Baptismo in solo Christi nomine collato vindicatur, ita eundem errorem amoliri debemus a Nicolao I. sanctissimo, & eruditissimo Pontifice, qui dumtaxat a nobis jam explicatam S. Ambrosii sententiam suo calculo appro-

probare videtur. Sed de doctrina Christianorum noni Ecclesiae saeculi satis haecenus dictum sit (a).

“(a) Quid si dixerimus eo tempore vixisse Nicolaum Pontificem, quo mentes hominum alta occupabat de rebus baptismi conferendi ignoratio, adeo ut Carolo Magno necesse fuerit viros doctos consulere & excitare, ut de rebus hujus Sacramenti palam scriberent, & plebes suas erudirent? Ea Principis commonitione persuasi plures tum de baptismo scripserunt, cum & dogmatis abita pervadere, melioremque in lucem collocare adnisi sunt. Id vero ut perficeretur tempore opus fuit, & diuturniori meditatione. Hinc qui primi ad id operis accinxerunt sese, pristinae ignorantiae tenebras non adeo plene excusserunt, & quibus prius tenebantur occupati erroneas opiniones non penitus excutere valuerunt. Exemplo sit S. Paulinus Aquilejensis, qui licet confessorium baptismum SS. Trinitatis nomine expresso nosset, adeo ut ceu rudes & indoctos traduceret illos, qui in Christi nomine Sacramentum istud administrassent, non tamen iterum tingendos eos edixit, qui non aliter abluissent. Vide supra adnotationem meam ad Paulinum Aquilejensem; cujus in sententiam Nicolaum I. concessisse quis jure miretur?”

D. Tuis perdoctis Responsis, dubia, quae circa quaedam Capita doctrinam noni saeculi spectantia mihi ingesserat vir ille eruditus, tam luculenter enucleasti, ut nemo me in praesentia impune laceffere possit, pleneque intelligam, doctrinam, quam altis defixam radicibus nunc tenet S. Mater Ecclesia, omnino consentire cum doctrina noni saeculi, nihilque in his, quae credenda proponit, fidei dogmatibus immutatam aut innovatam fuisse. Expediit modo, ut Disciplina tam Ecclesiastica, quam Monastica, quae nono saeculo vixit, compendiosam tradas notitiam, hoc est, ea summam perstringas, quae ad Sacramentorum administrationem, ad Primates, Metropolitanos, Episcopos & Clericos, necnon Monachos & Sanctimonialia spectant, quorum omnium explicatione speciem & formam Disciplinae noni Ecclesiae saeculi haud leviter adumbrabis.

M. In administratione Sacramentorum eadem nono Ecclesiae saeculo vixit Disciplina, quae in praecedentibus Ecclesiae saeculis frequentari solebat. Baptismus in trina immersione conferebatur, duoque Baptismi solemnibus temporibus, Pascha videlicet & Pentecostes, observabatur. Sub utraque specie sacra Communio Laicis concedebatur, quam disciplinam postea ob varia emergentia periculosa prudenter antiquavit Ecclesia. Hostiae consecratae in Columnis suspensae in Ecclesiis aservabantur, quae ad aegrotos deferabantur, ut, juxta antiquum Ecclesiae morem, sacro Viatico ante mortem reficerentur. Mos erat, ut infirmitate depreffi, idest, graviter aegrotantes, primum Confessione sacramentali pec-

cata expiarent, dein, Sacramento Extremae Unctionis munirentur, antequam desperata valetudo esset; demum, ubi imminere praevidebatur obitus, fieret animae commendatio, & sacra Communio, seu Viaticum, Christiano propediem morituro porrigeretur. Quod autem postea sacra Communio infirmis praemissa sit Extremae Unctioni, jamque a pluribus saeculis mos ille in Ecclesia Latina invaluerit, ut Viatico Corporis & Sanguinis Christi reficiantur infirmi, & postea sacro Extremae Unctionis oleo inungantur, ubi imminet obitus, mera disciplinae mutatio fuit, ex qua contra Extremae Unctionis Sacramentum nihil omnino extundere possunt Haeretici nostri temporis.

Primates, post Romanum Pontificem, qui est Vicarius Christi, Caput, & rector universae, quae late patet, Ecclesiae, principem locum in Occidente nono saeculo obtinebant. Duos Primates in Gallis nono saeculo Summi Pontifices instituerunt, quorum primus fuit Drogo filius Caroli Magni Imp. & Episcopus Metensis, qui Anno DCCCXLIV. a Sergio II. Romano Pontifice Primatum in Gallias & Germaniam obtinuit. Haec nova Drogonis dignitas cum in concilio Vernensi II. eodem anno celebrato proposita fuisset, responderunt Patres Canone XI. *de Prelatione Reverendissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum, quam maximus cogi potest, Galliae, Germaniaeque Conventum, & in eo Metropolitanorum, reliquorumque Antistitum requirendum esse consensum, cui resistere nec volumus, nec valeamus: nobis tamen, si quid committi potest, & non alia, quam quae praevenditur, later causa, illi potissimum convenire videtur, qui & communionem Sacerdotii nobis, & Excellentiae vestrae (Carolus Calvus Regem alloquuntur) propinquitatis privilegio sociatur.* Hic primatus personale Privilegium fuit Drogoni concessum a Sergio II. quod tamen suum effectum sortiri non potuit, intercedentibus Galliarum & Germaniarum Episcopis, & ipsomet Drogone modeste cedente, ut testatur Hincmarus Episcopus Remensis in Epistola XLIV. cap. 30. ubi haec habet: *Quod affectu ambit, seu Drogonus, effectum non habuit, & quod efficacie usu, non consentientibus, quibus intererat, obtinere non potuit, patientissime, ut eum decuit, toleravit, ne scandalum fratribus Consecratoribus generans, schisma in Sanctam Ecclesiam introduceret. Quem tanta generositate ac dignitate virum quisque nostrum imitari debuerat, ne indebite appeteret quod non habebat, qui sine contentione exequi non pertulit, quod adeptus fuerat.*

Drogonis felicior fuit Ansegisus Senonensis Archiepiscopus, qui post mortem Lotharii Imp. missus a Carolo Calvo Romam, induxit Joannem VIII. Romanum Pontificem, & Italiae Primores, ut Imperium Carolo Calvo deferrent. Quo factum est, ut Carolus Calvus ejus ministerio Imperium adeptus, eique gratias rependere volens, ab eodem Summo Pontifice litteras obtinuerit, quibus Primatus in Galliam, & Germaniam cis Rhenum Ansegiso Archiepiscopo